

No. 1348. 1513. 23. März.

Herzog Georg in Gemeinschaft mit seiner Gemahlin der Herzogin Barbara geleitet von dem Gedanken, dass wir hier keine bleibende Stätte haben, wünscht die Menschen zu einer tieferen und andächtigen Betrachtung des bitteren Leidens und Sterbens des Erlösers anzuleiten und dabei deren Fürbitte für ein seliges Ableben und eine fröhliche Auferstehung zu erlangen. Idcirco in ecclesia cathedrali Misnensi annuente eiusdem ecclesiae episcopo et capitulo perpetuo fundavimus, ut annuatim ultimi tres dies hebdomadae sanctae, videlicet dies coenae domini, parasceues et sabbatum sanctum devotioribus pollicioribusque ceremoniis et solemnibus, quibus hactenus in dicta ecclesia celebrati fuerint, celebrarentur et peragerentur. Ad quam fundationem duo millia aureorum renensium in prompta pecunia donavimus, pro quibus capitulum praefatum singulis annis centum florenorum census super opidis et civitatibus nostris Radberg, antiqua Dresda, Finsterwald et Lomatz earundemque emolumentis proventibus et obventionibus, ac super qualibet illarum civitatum seorsum viginti quinque aureos renenses annui census pro quingentis florenis similiter renensibus summae capitalis compararunt et emerunt, prout litterae emtionis desuper confectae id latius indicant. Quos quidem census centum florenorum praefactorum iuxta fundationis nostrae subscriptae tenorem distribuent disponent et ordinabunt. Et volumus, quatenus quinta feria magna ipsa die coenae domini ad horam primam conveniant omnes personae destinatae ad cultum divinum in ecclesia Misnensi in sacerario habitu religionis indutae. Et sacerdos qui primum locum in ecclesia tenet induatur alba stola et cappa, eo quod Christum repraesentare debet, induanturque capellani bene vocales albis et stolis, quemadmodum diaconum et subdiaconum decet, diaconus Johannem et subdiaconus Petrum repraesentaturi, unus plenarium, alter librum evangelicum deferens, et subordinentur deinde duodecim pauperes domestici, probitate tamen vitae quottannis, veste nova lugubri induti habentes caligas ultra genua, cum calceis novis de coreo sepo non illito. His omnibus congregatis in conclavi exeant duo iuvenes albis induti habentes thuribula, et duo iuvenes gestantes duo luminaria, quos sequantur subdiaconus et diaconus, post hos pauperes habentes in manibus luminaria ardentia, campanator eo quod Judam repraesentare debet lumen non incensum, deinde chorales, utriusque chori capellani, vicarii, canonici, omnes ferentes luminaria ardentia, quos sequatur ultimo Christum repraesentaturus eminentius ceteris lumen habens. Et quatuor iuvenes secundum ordinem suum ad altare trinitatis maneat stare, diaconus et subdiaconus vero apud duo pulpita, quemadmodum provisores facere solent, pauperes vero stent in longiori gradu ante summum altare, Judas vero ex opposito supra sepulchro marchionis Wilhelmi vultu verso ad chorum; ceteri intrent in formam chori, salvator stet ubi provisores chori sedere solent. Et tunc incipiatur officium ‚Prima autem die asimorum‘ et cum venerit eo ‚ubi vis paremus‘ etc., accedant simul diaconus et subdiaconus ad salvatorem cum inclinatione humili et devota et hi ambo verso vultu ad salvatorem cantent soli tractum et pausando ‚ubi vis paremus tibi comedere pasca‘ et chorus continuet finito introitu, exeant in processione cum luminibus quemadmodum exierunt sacristiam et vadant per cimiterium intrando ecclesiam per ianuam sanctorum Petri et Pauli ad capellam ducum circumgirando per aliud latus ecclesiae revertendo in monasterium cum responsorio ‚quoniam obtexit caligine‘, et postquam redierint ad monasterium seu medium ecclesiae, tunc quilibet sedet in locum suum, diaconus et subdiaconus ponant evangelium cum plenario ad altare sanctae crucis, et unus ad dextram et alius ad sinistram salvatoris ad pedes beati Benonis sedeat. Iuvenes vero luminaria ad dictum altare sanctae crucis ad candelabrum locent et thuribula pendere faciant et stent ante altare ibidem, pauperes vero ante altare sanctae crucis sedeant, ubi eis propria ordinata esse debent subsellia, vertentes vultum ad salvatorem, Judas vero in medio ecclesiae, qui etiam propriam sedem habeat, similiter vultu ad salvatorem verso sedeat, et finito responsorio incipiat salvator ‚Oremus, flectamus genua‘, et flexis omnium geni-